

conditionem sive censem, sive praecipue animi nobilitatem ingeriique praestantiam, maximi momenti causae suppetias quomodolibet ferre possent. Quo factum est, ut Pastores animarum optime meriti, sacerdotes et utriusque sexus claustrales, patria extores, tuto hospitio humanisque curis iuvari potuerint, et (quod Nobis maxime gratum fuit) in seminarium colligi pauperes ephebi mexicani, in sacerdotii spem educandi. Atque ita manifestari coepit penes omnes in hisce regionibus ille amor, eaque cura et tutela in exules, quae per pulcros inter fastos rei christiana et civilis in America accensebitur. Inter multos qui pio huic operi adlaborarunt, indigitare heic placet, praeter te, dilectum Filium Nostrum, duosque Patres Cardinales, qui eodem, ac tu, magnanimitatis merito praestant, venerabiles Fratres Archiepiscopos Chicagensem et Novae-Aureliae, una cum Episcopis Campifontis, Matanzensi, Toletano, S. Christophori de Habana et S. Antonii iam a Nobis laudato; nec non dilectos filios sac. Franciscum C. Kelley, praesidem *Catholic Church Extension Society* et religiosum virum Recaredum Tierney, S. I., diarii *The America Press* moderatorem. Quibus omnibus ceterisque dum laudis testimonium et incitamentum adiungimus, spes Nobis adridet fore, ut iidem et quotquot exstant penes nos Christi fideles « corde magno et animo volenti » salutare opus efficaciter prosequantur ac foveant, quoisque, quod quantocius eventurum confidimus, civilis ordo et christiana libertas in dilectissima Mexicana republica instaurentur.

Auspicem interim caelestium bonorum nostraeque benevolentiae testem tibi, dilecto filio Nostro, tuaeque archidioecesi universae benedictionem apostolicam peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xvii mens. Martii MCMXV.

Ex Congregatione Consistoriali.

De vetitis nobilitatis familiaris titulis et signis in Episcoporum inscriptionibus et insignibus, vulgo « armis ».

Apostolica constitutione *Militantis Ecclesiae* die xix mens. Decembbris MDCXLIV data,

Summus Pontifex Innocentius X mandavit ut « omnes S. R. E. Cardinales, ad unitatem et aequalitatem ordinis construendam, iubent e propriis sigillis et insignibus quibuscumque, vulgo *armis* nuncupatis, amoveri coronas, signa ac omnes notas saeculares, praeter eas, quibus intra scutum armorum eorum familiae tamquam de essentia et integritate eorumdem armorum utuntur, et ut in posterum ab illorum usu abstineant ». Ad unam vero eamdemque rationem hac in re etiam quoad Episcopos induendam, SSmus. D. N. Benedictus PP. XV eamdem legem ad eos extendendam opportunum censuit. Quapropter consistoriale decretum edi iussit, die xv mens. Ianuarii MCMXV, quo Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi omnes tam residentialis quam titulares in posterum in suis sigillis et insignibus, seu armis, itemque in edictorum inscriptionibus, titulos nobiliares, coronas, signa aliasque notas saeculares, quae nobilitatem propriae familiae vel gentis ostendant, addere penitus prohibentur, nisi forte dignitas aliqua saecularis ipsi episcopali aut archiepiscopali sedi sit adnexa; aut nisi agatur de ordine equestri S. Ioannis Hierosolymitani aut SSmi. Se-pulchri.

Ex Congregatione Indicis.

Per decretum diei xii mens. Aprilis MCMXV damnata, proscripta atque in Indicem librorum prohibitorum relata sunt opera quae sequuntur:

CYRILLOS MACAIRE, *La Constitution divine de l'Eglise*. Genève, 1913.

PHILIPP FUNCK, *Von der Kirche des Geistes. Religiöse Essays in Sinne eines modernen Katholizismus*. München, 1913.

ALPHONSE SALTMANN, *Les remèdes divins pour l'âme et le corps*. Paris-Bruxelles, 1912.

PIERRE DE COULEVAIN, *Le roman merveilleux*. Paris, s. a.

Ex eodem decreto innotuit Damianum Avancini et Theodorum Wacker decreto eiusdem S. Congregationis, quo quidam eorum libri prohibiti fuerant, se subiecisse.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, sponsor.

Romae, ex off. I. Bertero et Soc. (Via Umbria, 27).

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2. 40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ~ ~

JOSEPHO FORNARI

“ ALMAE ROMAE ., MODERATORI
EQUITI TORQUATO GREGORIANO RENUNCIATO
IN COMMENTARIO CONSCRIBENDO ADIUTORES.

Officii esse nostri existimamus, ut tibi, nuper a regnante Pontifice Romano inter Equites Torquatos Ordinis Gregoriani adlecto, quotquot in conscribendo tuo Commentario adiutores subinde tibi sumus, impertitum honorem gratulemur ex animo. Excipe igitur harum gratulationum sinceram hīc laetamque significationem. Nobiscum profecto idem sentient Commentarii lectores, ubi noverint quot et quantis titulis decus hoc promerueris. Septennium est, ex quo terraemotus Siculo-Calaber innumerabiles sub aedium ruinis sepelivit victimas. Milleni tum infantes ac parvuli superstites fuerunt, parentibus orbati omniq[ue] ope destituti. Horum ingentem multitudinem fel. rec. Pius PP. X suis expensis educandos et ad utilem aliquam artem aut professionem instituendos adoptavit, quorum te tutorem atque alterum quasi parentem constituit. Quod quidem munus tu libenti animo suscepisti, paternos omnino sensus induens et patris nomine a pupillis insignitus. Nullis autem pepercisti laboribus, nullis itinerum etiam longinquorum incommodis, ut eos apte collocares, frequenter inviseres ac Pontificia ope et benedictione recreares. Quum vero ad meliorem vitam Pius X migrasset, idem tibi tutoris officium delegatum fuit ac confirmatum ab hodierno Pontifice Benedicto XV, qui praeterea novos tibi concredidit pupilos, e recenti terraemotu Marsicano superstites. Simul autem dignum tuis praeclaris meritis praemium addidit, quum, Equitem iam te Gregorianum, sua sponte et proprio, ut aiunt, motu, torquis auxit decore.

Fruere igitur novo et insigni, quo honestatus es, honore plurimos in annos, et ad seram usque senectam; sitque merces haec temporalis praelibatio ae-

terni praemii, quo Deus aliquando te remunerabit ob eximiam tuam in parvulos pietatem ac benevolentiam. Idem honos, tibi impertitus, in Commentarium redundabit, quem tu egregie moderaris, conscribis et administras, quo quidem, fautor utroque Pontifice Pio X et Benedicto XV, latini sermonis cultum et amorem longe lateque diffundere ac promovere conaris. Vale.

SODALIBUS MEIS DILECTISSIMIS.

Quas vos ob recentem honorem, quem pro summa Eius benignitate mihi attribuere dignatus est Summus Pontifex, dedistis litteras, eae maximae erga me benevolentiae vestrae, qua tam diu me prosequimini, testimonium novum exstiterunt. At fuerunt insuper immutabilis adhaesionis vestrae operi illi pulcherrimisque consiliis, quibus tantam vos navitatem attulistis et affertis, vires addendo huic animo meo, qui aliter profecto defecisset. Quod si quovis tempore de amantissimis huiusmodi sensibus gratiae mihi habendae apud vos essent atque reddendae, eo magis hodie, ob communicationem vestram publice exhibitam, eas vobis debeo, quum in tanto discrimine rerum versamur. En, dum in nomine Almae Matris Romae, diversi nationibus et indole, una tamen mente, Christianam humanitatem edicere et provehere satagimus; dum per sermonis vinculum, quotquot Eius doctrinam et religionem profitentur, in unum eumdemque fraternum complexum verbis et re movere studemus, in ea tempora incidimus, quae nulla aetas vidit; siquidem evenit nunquam, ut humanitatis progressus, qui summa attigisse asseritur, in hoc unice demum consistet, ut sapientia omnis ac disciplina ab ipsa humanitate profecta, ad necem humani generis acerrime converteretur. Iamque ne Itali nos quidem, Matris dulcissimae legitimi ac proximi haeredes, incendium immane restinguere valuimus; quin imo et in ipsius vorticem rapti sumus ita, ut neminem fortasse nostrum reperias, qui sive per se sive per filios suos arma non sumpserit aut non sit sumpturus. Si tamen per immensos tantae conflagrationis tumultus vestra vox, Sodales dilectissimi, itemque vox mea aliquando conticescere coacta fuerit, altius validiusque ea profecto insonabit ad pacis triumphos celebrandos. Faxit Deus, quem enixe efflagitamus, ut auspicata haec dies quam ocissime illuceat, in salutem humani generis, cuius tandem resipiscentis misereatur Omnipotens!!!

Ad meliora servemus nos, Sodales, quos tum omnes, ut hodie, praesentes, corde uno et anima una, feliciter mihi adfuturos confido; atque seruentur nobiscum quotquot exstant Patroni, Socii Lectoresque commentarii nostri humanissimi!

JOSEPHUS FORNARI.

HUMANI ADSCENSUS

Ex tristi hoc quo urgemur orbe, quum spiritus restingui se prope sentit, neque, veluti fumi vinique vaporibus ebrius, polum distinguit amplius, qui in summo aëre eodemque sereno, in divino illo caelestium concentu, emicat inter luces aeternas, adaptamus tandem altiora, adscendamus!

Adscendamus; sed ad verum illud concretumque immortalis beatæ vitae regnum nobis promissum, ad quod creati destinati sumus, quum in hac terrarum sede non domum, at diversorum occupari persuasum nobis habuerimus.

Si enim huiusmodi adscensus cogitatio; si desiderium istud demissis hisce et palustribus locis abstrahendi aëremque captandi spirabilem magis, frequenterius, quam credibile est, eos ipsos capiunt, qui pronam ad terram frontem suam tenere consueverunt, oculosque raro ad caelos tollere, in id unice intenti, ut oblimatas terrae vias perscrutentur, longe tamen aliter ac qui repetendi sunt fructus istis evadunt.

Sequuntur ii namque invitationem a Longfellowio in notissimo carmine suo factam, at errore substantiali fultam, quando *Excelsior!* non *Excelsius!* a poeta clamatum est. Atqui ex superbia tumoreque *excelsior* quisque procedere malit; pauci vero ad sese *excelsius* efferendum intendunt.

Scilicet, quamquam sentimus omnes ad altiora nos tendere oportere, nolumus tamen ex nostri cupido amore nos tandem aliquando resolvere, primatus appetitionem temperare; uno verbo, ex ignobili nostro « ego » refigi. Adscendere quidem ad altiora cupimus; minime vero destituentes et abiiciientes personam nostram; sed cum ipsa arctissime vincti, atque adeo involuti, ut formam pecu-

liarem excelsioris hominis nobis effingamus per arrogantiam suam sublime imperantis; re tamen haud a solo excedentis, quoniam terrenam massam unde illud « ego » constat, quasi individuam supellectilem nobiscum gestare praesumamus. Numne Kantius, Fichte, Hegel, Schelling, qui ipsum « ego » praedicarunt et extulerunt, per sapientiam suam ex limo isto in quo homines opprimi et obrui videmus, levare minimum valuebunt? Cum iis Longfellowius erravit: *Excelsior!* illud suum strepens, poeta hominis cupide se ipsum amantis existit... atque interim ab eo celebratus ille adulescens, rigens in montis cacumine moritur, gelida manu frustra signum perstringens, in quo ineptum id verbum scriptum est.

Iure quidem Longfellowius « ineptum verbum » ipse dixit: non id fuisse, si pro *Excelsior!* in eo signo *Excelsius!* legeretur. Tum enim hominis vocationi ad altissimos fines suos dialectice responsum esset; neque stultam affectationem poeta consecrasset repraesentandi hominem excelsiorem, quam qui pro excelsa natura sua est; per hanc rationem eum degenerando, adque summa ipsum urgendo, ubi glacies et solitudo unice inventiuntur, super quibus caeli firmi atque indomiti porriguntur, nec quidquam suggerunt, nihil offerunt homini sibi arguenti per summa illa excelsiore fieri, ac spennenti praeter caelos illos excelsius adscendere, donec quaerat adoretque Deum, qui unus, pree rerum natura ipsoque homine, excelsior est.

**

Bellum quodvis ab homine in hominem, a gente in gentem, quin imo contra ipsum Deum motum, unde trama historiam generis humani componens constituitur, nihil aliud denique est, nisi

amens Gigantum ille conatus, qui alium super alium congerentes Olympum, Pelion et Oxam montes, sibi rationem adsciscebant descendendi caelum, Iovem a regno deturbandi, ingenioque suo *excelsior* illud perficiendi, ab eorum mente oh! quot saecula ante Longfellowium conceptum. At vero Iupiter risit, fulmineque Gigantes illico redegit ad umbras. Nihilo secius bella perdurant adhuc cum constanti, gravi, eodemque sibi proprio errore, ut qui gerit velit excelsior esse; non quidem excelsius ascendere!...

Ne igitur ultra tam temere agamus, iuxta rectam adscendamus tandem viam: evellamus nos a solo hoc ignobilium cupiditatum, defixarum penitus atque haerentium contumaciter in nobis; meditemur et sequamur illud aeternae sapientiae monitum: «Exi a te ut invenias me». Hic enim vere adscensus: quum nostrum «ego» protervum deserentes, veluti papilio bombycinum folliculum, superna adaptamus, quae tam longinqua videntur; sunt e contra tam proxima nobis, quanto proximum humilitati nostrae, dum quaeramus, Deum semper inveniemus, quocum itaque eo excelsius adscendemus, quo magis in infinita Eius sublimitate nos demersemus. Adscendamus, inquam, in Fidei Speique Christianae alas nos librantes, protinusque Christi Caritatem reperiemus. Tum quidem Iustitia et in hac lacrymarum valle regnabit; tum in osculo illo amoris, ad quem Iustitia et Pax invicem sponte sibi occurserint, quae stiones, supremi licet momenti, brevi atque facile solventur.

I. F.

Ad milites “Cruciferos”

*Ferte opem promptam, date vulneratis
Mille qui languent madidi cruento
Dulce solamen pietatis, omne
Auxiliumque.*

*Ingruit totus nece sordidatus
Horror heu! campis, gemitusque mille
Ore iam fracto resonant fluuntque
Ultima verba.*

*Grando nam aeratis iaculis globorum
Evolat longe gravis, et frequenter
Ensium adversi modo praeliantur
Ictibus hostes.*

*Triste spectaculum: ruit en cadaver
Qui modo aetatis viridi rigebat
Flore, labuntur simul et voluptas,
Spesque animusque...*

*Vos tamen quantas rapitis cruento
Funeri praedas, ope qui iuvatis
Saucios, etsi ruit usque circum
Ferreus imber!*

*Agmen, o salve, Cruce sub rubente
Providum, solers, pietatis almae
Tutor: humanae religia per orbem
Vincula gentis!*

MARCUS GALDI.

ARCHAEOLOGICAE NOTAE

DE APOSTOLORUM PETRI ET PAULI MEMORIA
IN S. SEBASTIANI BASILICA
AD VIAM APPIAM.

Omnis qui hisce temporibus Urbem invisit, miratur equidem et maxime, quum consideret hominum mores animorumque varietatem. Namque aedes hic in immensum continuas construernis, et spatium maenium in diem

longius extra pomaerium transferri; illice contra, ceteris posthabitis, memoria veterum rerum abrepti solum perpetuo effodiunt, ut novam veluti urbem ac futuram, in qua olim patres nostri versabantur, aërem captabant amoenum, inquirant, ut quidquid, temporum iniuria misere fuisset desperditum, visitantium animos oculosque denuo recreet. Quot rerum incunditas! Hic enim olim palatium erat vel aedes: illic forum cum statuis marmoreis, et summa alacritate studioque conquiritur, quod mente sibi quisque per conjecturam assequi effingit. Nec sane usque perperam. Namque multa nobis monumenta reddidit tellus, multasque aedes miro artificio perfectas. Quot porticus a patribus exstructae «in umbraculum diei ab aestu, atque in securitatem a turbine et a pluvia» hilares redeunt e ruderibus effossae, atque, amico vultu, nos iterum salutant!

Haec aliaque in mentem venerunt, quum quaedam lectitarem, quae nuper effossa ad lucem redierunt.

Qui enim vel e limine res temporis transacti salutaverit, optime novit, prima Apostolorum sepulcra fuisse apud Vaticanum et secus viam Ostiensem; sed paulo post, eorum corpora per aliquot annos condita fuisse in viae Appiae cuniculo, temporum lapsu in basilica Sancti Sebastiani fuisse deposita; denique ad prima monumenta delata, ubi Constantinus imperator duas basilicas aedificavit. Apostolorum vero reliquias ad viam Appiam fuisse translatas, ipsi libri, qui fidei dubiae vocantur, adfirmant, *Calendarium*, dico, *Liberianum* quarti saeculi, *Martyrologium Hieronymi*, *Liber Pontificalis*, et *Carmen a Damaso P. M. conscriptum*, *Epistula S. Gregorii Magni*, *Itineris peregrinantium descriptio* septimi saeculi, et constans traditio, quae post tot saecula ad nos pervenit. Haec enim multorum seculorum traditio adtestatur

magnum subterraneum conclave extitisse pone basilicae Sancti Sebastiani absidem, ubi adesse ferebatur monumentum *Platonia* dictum, lapidibus scilicet marmoreis exstructum, ubi ad tempus conditae fuerant duorum Apostolorum exuviae.

Haec res omnibus si notissima perhibebatur, attamen plurima eiusdem adiuncta suboscura inveniebantur, et ipsa corporum translatio minime certissima constabat. Quinimo lis adhuc sub iudice est, utrum duae fuerint translationes, an una tantummodo.

Ex vetere quadam traditione, primum sanctorum illorum exuviae elatae sunt, paucis post annis ab Apostolorum obitu, quum homines, ab Oriente profecti, Romanum eo consilio venerant, ut eas secum deferrent, sub amoris speciem erga cives suos in Oriente prognatos; sed Romani eadem corpora ad viam Appiam referentes recuperarunt; cuius rei origo, in actis apocryphis Petri et Pauli conscripta, a Lipsio in vulgus edita fuit.

Alteram translationem, labente fere medio tertio saeculo, antiquus ferialis Liberianus quarti saeculi meminit, ubi legitur, tertio Kalendas Iulii Romae celebrari memoriam depositionis S. Petri ad Vaticanum et S. Pauli apud viam Ostiensem, amborumque apud catacumbas.

Quo facto, nonnulli antiquitatis studiosi duas referunt translationes; alii unam; ex his autem probabiliorem primam autumant, alii veriorem secundam. Verum qualemcumque tu opinionem persequi volueris, procul dubio apertissime confiteberis magnam in catacumbis viae Appiae fuisse venerationem erga Petrum et Paulum; quo factum est, ut ipsa basilica, quae nunc sancti Sebastiani appellatur, Apostolorum basilica usque ad octavum saeculum vocaretur.

Alii vero huiusce nostrae aetatis recentem sententiam invexerunt, memoriam illam haud esse sepulcrorum testimonium, modo sed habitationis. Ultro concedo hanc fuisse quoque habitationis memoriam, quam et alii affirmarunt, praesertim si de s. Petro sermo esset; sed omnia vetera monumenta de sepulcro memorant, quod insigniter adtestantur omnes, quos supra retuli, scriptores.

Sunt qui dicant Damasum illis verbis « hic habitat » etc. innuere eorum habitationem. At nemo est qui ambigat, Damasum in alia inscriptione, hoc eodem verbo *habitare* usum fuisse pro sepulcro. Et certum est *domum* vocari quoque sepulcrum.

Ceteroquin Damasus, sub finem huiusce inscriptionis, dicit iure meritoque Romam Apostolorum corpora servare. Ait enim :

Roma suos potius meruit defendere cives!

Certum est autem, hanc Damasi inscriptionem ad sepulcrum deferri. En ipsa eius verba :

*Hic habitat prius sanctos cognoscere debes,
Nomina quisque Petri pariter Paulique*

[requiris,

*Discipulos Oriens misit quod sponte fatemur,
Sanguinis ob meritum Christum qui per astra*

[secuti.

*Aeterios petiere sinus regnumque piorum,
Roma suos potius meruit defendere cives.*

*Has Damasus vestras referat, nova sydera,
[laudes.*

Ad Apostolorum monumentum apud viam Appiam cura studioque animum appulit A. De Waal, antistes Domus Pontificalis, an. MDCCLXXXII: accuratissime loca illa effodit, atque inscriptionem reperit, quae in *Platoniae pa-*

rietibus, coloribus depicta, s. Quirinum martyrem memorat, cuius corpus Romanum delatum est quinto saeculo, atque propter apostolicum monumentum in via Appia compositum. Ipse De Waal, clarissimus vir, mentem ac voluntatem doctorum ad Bullam Leonis Decimi P. M. respicere iussit, in qua, quum sancti Sebastiani basilica describeretur, in medio templo altare demonstrabatur, in quo, ex omnium sententia, Apostolorum fuisse sepulcrum; atque ab illo tempore solum illud refodere quam citissime voluisset. Quod quidem nunc factum est, et, sub ipso Basilicae pavimento, conclave repertum est vetustissimum, quod in aede quae mox fuerit condita, intercisum fuit.

In pariete, qui e regione est, subsellium lateritium cernitur in visitantium adiutorium, et super pariete, tectorio opere polito, complura verba adparuerunt descripta in honorem Apostolorum Petri et Pauli. In aliis huiusmodi inscriptionibus, praeter orationes erga Apostolos, peregrinorum memoria quoque accedit de *Refrigerio* illic constructo ad christianorum *agapen* faciendam, vel saltem libationem in Sanctorum honorem :

PETRO ET PAULO

TOMIUS CAELIUS

REFRIGERIUM FECI

XIII CAL. APRILES

REFRIGERAVI

PARTHENIUS IN DEO ET NOS DEO OMNES

DALMATIUS

BOTUM IS PROMISIT

REFRIGERIUM

Hae vero inscriptiones, ut omnibus perspicuum adparet, maximi sunt equi-

dem pretii, quoniam antiquam esse adfirmant atque verissimam illo in loco Apostolorum memoriam; et novissima *graphita*, quae vulgo dicuntur, seu inscriptiones, *Refrigerium* referentia, memoriam ipsam Apostolorum sepulcri adtestantur; namque *agapes* atque libationes apud martyrum sepultra admodum fiebant. Sicque apud primum sepulcrorum globum martyrum, in Priscillae coemeterio effossum abhinc paucos annos, est inscriptio anni CCCLXXV cum verbis: *Ad calicem venimus: quod idem sonat atque: « Nos, in honorem sanctorum, ad quorum sepultra provocuti sumus, calicem libamus ».*

Ad haec, ab istis s. Sebastiani inscriptionibus certam quoque nos eruere possumus traditionem, Apostolos in via Appia ad tempus conditos fuisse. Legimus enim :

COSCIMATU

TIRUM DEI KORPORUM

DE PRIORI LOCO ORDINI

NAVIT HUIUS ORATIONIS

Arduum omnino est hinc certum aliquem probabilem sensum exculpere; attamen ex hisce iisdem verbis ruptis et partim perperam quoque descriptis, atque ex ipsa prima lectione spectari videtur ad *corpora de priori loco translata...*; quae autem verba in catacumbis Viae Appiae, ad Apostolorum exuvias referenda esse procul dubio putamus.

Quo facto, quoniam ad sancti Sebastiani monumentum inventum est, quod triclinium erat fortassis pro sacris Christianorum mensis, id mirum in modum scriptis confirmat illic, ex traditione, quievisse olim Apostolorum corpora,

eaque inde ad Vaticanum atque ad viam Ostiensem fuisse condita.

Ex hac vero inventione, quae maximi momenti aestimari videtur, nonnulli deducere nituntur, quod nobis improbandum admodum adparet, Apostolorum sepulcrum ad tempus tantummodo fuisse in media Sebastianensi basilica, nec vero in conclavi pone absidem invento.

Uno verbo, magna vi atque studio defendant, Apostolorum memoriam illud tantum conclave fuisse cum scriptis, quod nuperrime detectum, longa oblivione obrutum temporibus, quae falso media vocantur, subegisset conclavi post absidem, ubi, e contra, ex recentiorum doctorum sapientia, unius sancti Quirini sepulcrum esset reponendum. Utraque vero quaestio, acerrimis licet argumentis hinc inde sapienter discussa, adhuc sub iudice versatur, atque e nova unice rerum adhuc absconditarum accessione, litigantium Victoria praedicari poterit.

Crastina die fortassis, lucidores inventiones extrahantur, quae additae inquisitionibus quamquam parvulis adhuc et paucioribus, ut quasi repetere debeas: « Pauperis et tuguri congestum cespite culmen », iterum atque iterum verendas Romanae ecclesiae traditiones esse, melioribusque modis veras esse easdemque sinceras adtestabuntur, eaque cuncta immortalitate dignissima atque in deus Romanorum, qui res antiquas intelligentis animi nisu inquirunt atque patriae splendore illustrant. In vulgus multis sapientiae luminibus, qui suus est mos, de re edidit Horatius Marucchi, cui maximas gratias doctiores homines agere debent; cuius nos lectionibus mordicus adhaerentes haec in *Alma Roma* produximus.

SENIOR.

Ingenuarum artium specimina

DE ROBIANIS SCULPTURIS ITERUM.

Aliarum sculpturarum, quas Luca Della Robbia terra cocta effinxit, specimina hodie damus, quae in superiore fasciculo, spatii angustiis prementibus, omittere coacti sumus.

Asservantur et fictilia haec in Florentino museo, cathedrali templo adnexo, ornabantque olim peristylium illud, ex quo in templo cantores musicique organa Deo psallunt. Ut autem pueri, quorum imaginem praebuimus, cantui vacabant; sonant hi sive graviter sive iocose, aut festive choreas agunt, non tamen, ut in puerorum more est, argentinas voces suas emittere negligentes.

Dicam et de istarum figurarum varietate, elegantia, vigore? Iterandum esset mihi quae iam satis fuse exposui; malo vos, lectores humanissimi, Robiani operis enuntiatas virtutes repetatis, imo nova, quo acri iudicio polletis, ipsi inveniatis.

X.

De Aldo Pio Manutio

Quadrigeniti anni sunt ex quo diem obiit supremum Aldus Pius Manutius, qui Bassiani natus apud Venetias, anno quadragesimo nono et quadragesimo supra millesimum, magnam sibi gloriam arte Guttembergia comparavit. Erat quidem in animo nonnullis qui celebrissimum hominem colerent, hoc ipso anno omnium officinatorm librariorum concursu, magnum Venetiis indicere conventum, laudes hominis in memoriam revocare, atque in primis quot tulerit ja-


bores, quantum sudaverit, ut ars quam unice deamabat, prospere incederet. Sed immane acerbumque bellum, quod Europam universam miserrime exagitat, spem omnium interrupit. Et nos Italos praesertim libentius praeteriti temporis spatium respicere iuvaret, memoriamque clarissimorum hominum alacres renovare, atque arrepta occasione, Aldum Manutium maximis laudibus efferre, qui humili loco natus, acerrimo ingenio praeditus, labore assiduo, clarius in re libraria sibi nomen conquisivit.

Illa enim tempestate, primum renatis paullo ante litteris, ex Germania in Italiā paeclarum illud Guttembergi inventum provehitur, ob quod novam atque inusitatam formam omnes disciplinae protulerunt. Ars vero libraria, quae omnis typis nunc mobilibus nititur, maximeque cuique probatur, et nomen Guttembergi apud omnes percrebuit, haud recens omnino nunc esse videtur. Namque haud desunt qui, nimio fortasse amore abrepti erga humanitatem Latinam, ex quibusdam Ciceronis verbis, quae Orator Romanus citra opinionem exaravit in Libro II *De Natura Deorum*, autument coniectura erui posse, miram Guttembergiam artem ab Italorum ingenio proficiisci. Haec enim sunt Ciceronis verba: « Hic ego non miror esse quemquam qui sibi persuadeat corpora quaedam solida atque individua vi et gravitate ferri mundumque effici ornatissimum et pulcherrimum ex eorum corporum concursione fortuita. Hoc qui existimat fieri posse, non intelligo cur non idem putet, si innumerabiles unius et viginti formae litterarum vel aureae vel qualeslibet aliquo coniificantur, posse ex his in terram excussis Annales Ennii, ut deinde legi possent effici... »

Sed nos, etiamsi cum celebri illo carmine Silvii Pellici, patriae gratulabundi iterum atque iterum praedicamus: cuius-

libet pulcarum artium Italianam esse matrem, non infitiamur tamen, imo aperto ore liberoque profitemur, hunc omnem honorem adtribuendum esse in primis Guttembergi, viro Germanico, qui redeuntibus litteris, prope medium saeculum xv, pertinaci opere atque studio artem librariam novo mentis suae invento ad incredibilem amplitudinem perduxit. Dum lento autem gradu veluti infans haec ars incedit, atque recens in Italianam hīc atque illic introgressa, maiorem laudis coronam acquirit, optimis fatis, opitulante Deo, Aldus Pius Manutius adparuit, qui novo ausu facile princeps inter officinatores librarios etiam nunc habetur. Is, amore studiorum compulsus, primum Romam venit, tum Ferrariam petiit ut graecas litteras arriperet apud Guariniū, qui ea aetate maximo in honore tenebatur. Verum mox, ingavescente bello inter Venetos et Ferrarienses, relicta urbe, sapientiae desiderio ductus, se contulit apud Picum e Mirandula clarissimum virum, et postea Carpium apud Albertum Pium. Horum ductu praescriptoque primam librariam officinam extruxit. Ad maiora vero se vocari animo praesagiens, parvula haec exordia indignatus, gloriae quadam dulcedine raptus, altiora semper petebat. Eo tempore, Venetiae non armis modo, sed et commerciis ac ditiis maxime florescebat; quam ob rem illuc praemiis adlecti conveniebant quotquot ingenii vires essent periclitati atque primas in aliquo certo bonarum artium genere se retulisse putarent. Illic praesertim, veluti composito signo officinatores librarii confluxerunt, qui

complura ac paeclara opera ederent. In his est adnumerandus Aldus Manutius, qui obscurō adhuc nomine officinam librariam suo penu aperuit et primus *Herum et Leandrum* latino eodemque graeco sermone in vulgus protulit. Ita enim optimis exemplis nitidisque typis, variis atque elegantioribus se se




ROBIANA FICTILIS SCULPTURA.

primum obtulit, ut omnes uno ore dicenter, novam artem sua quadam luce splendescere, atque eius ingenio ad magnam perfectionis amplitudinem adsurrexisse videri.

Subito omnis Italia et ipsae externe gentes mira eius ingenii opera plausibus accipere, summis laudibus ad caelum efferre, hominis industriam noscitare atque proferre. Quot tamen labores impiger sustinuit, quot nova invexit singulis annis, qui inter sunt a millesimo

quadringentesimo octavo et octogesimo per duodeviginti!

Sed bellum iterum quominus alia insignia opera proferret ex improviso prohibuit. Attamen, ut pro viribus graviora belli damna vitaret, Mediolanum se conferre statuit. Insuper omnes eius opes eiusque praedia barbarus miles male habuit et depopulatus est.



ROBIANA FICTILIS SCULPTURA.

Ad haec, quum Venetias se iterum contulisset, ut sua denuo reciperet, in manus hostium incidit, atque ut proditor in custodiam Cannetum perducitur. Et Goffredus Carolo, qui Senatui Mediolanensi vicaria potestate praeverat, in libertatem eum vindicavit. Ubi primum Venetias iterum pervenit, nulla equidem rerum adversitate deterritus, ac suffragante socero, novam officinam aperuit, quae brevi crevit floruitque.

Si hominis ingenium penitus noscere velis eiusque studium, ex ipso artis sua signaculo perspicere facile poteris. Refert enim Delphinum ita anchora devinctum, ut sua fiducia vel in ipsis rebus adversis manifesta fiat.

Mirum sane dictu est, quot doctos homines amplissimis propositis praemiis ornamentisque apud se ad opus perficiendum adlexit! Ob eius nomen clarissimi viri multis doctrinis eodem convenire student, et multi ex omnibus dissitis Italiae regionibus ingenio litterisque pollentes, ad eius latera se alacres conferunt. Quo facto, omnibus visum est, adnitente potissimum Aldo, officinam suam librariam multorum ingeniorum fautricem fuisse atque parentem, quae veterum regionum confinibus prolati, omne disciplinarum genus instauravit. Horum omnium praeclarae eruditionis complura exstant monumenta.


Quae cum ita sint, nisi bellum in praesentiarum saeviret, quo omnium mentes atque animi occupantur, labente quarto centesimo anno ab eius obitu, optimum factu putabatur, ab omnibus undique doctis viris atque officinatoribus librariis, eius nomen in memoriam hominum

honeste veniens, novis iisdemque maximis laudibus exornari. Quot enim lapides, quot inscriptiones, quot denique monumenta passim in vicis, in singulis magnarum urbium foris obvia sunt hospitibus! Quot ingenia, quot clarissimos viros haec nostra aetas protulit! Hi autem eruntne prorsus immortalitate digni, ut eorum nomina per hominum ora volitent? Lis est adhuc sub iudice, nec facile solvi potest. Verum quis ho-

norari dignior, quis laudibus cumulari quam Aldus Manutius? In animo itaque iamdiu erat, ut hoc ipso anno magnis honoribus, si non admodum dignis, Aldus Manutius decoraretur, proposito quoque praemio, ut *Manutiorum* opera insigniter honestarentur. Omnis enim Manutiorum domus hanc sibi gloriam operibus conquisivit. Namque Aldi filii, quamvis ad patris magnitudinem adsurgere nequierint, primum tamen inter aequales locum pree ceteris obtinuisse videntur.

Tres enim filios ille habuit, qui paternam artem omnes cum sapientia exercuerunt. In ipsis Paulus enituit, qui Venetiis natus, Romae diem obiit supremum. Vere officinae libraiae Romanae magister est dicendus, qui multo labore multaque cura in vulgus edidit haud pauca volumina atque eleganter. Impigro atque peracuto ingenio praeditus, antequam ad Urbem proficiseretur, ipsis Venetiis omnia Ciceronis opera protulit, doctis insuper commentariis additis ac pretiosis adnotationibus. Huius filius, cognomento Aldus *minor seu iunior*, avunculi artem ingeniose amplexus, novum familiae deus addidit. Felix idem litterarum cultor magnoque ingenio clarus, paternae gloriae haud impar fuit, qui non minus naturam favorabilem habuit in tribuendis animi virtutibus, quam in operandi voluntate. Fuit enim vir ita patiens laboris, ac mentis acumine, ut nobilissimus inter aequales haberetur. Vix quattuordecim annos natus librum exaravit *de recta latina ortographia*, aliaque egregia opera, in quibus commentarium *de Cosimo Mediceo*, Florentinorum duce.

Sic Manutiorum domus per duo fere saecula principem locum obtinuit in arte libraria. Quo facto in mentem aequalium nomen eius capit is revocare deus videtur ac paene necessitas. *Aldini* enim typi nomine suo adhuc decorantur, qui a penu suo profecti etiam nunc manibus officinatorum teruntur. Et ipsae editiones, quae honoris gratia vulgo *Aldinae*




ROBIANA FICTILIS SCULPTURA.

dicuntur, dupli sunt omnino nomine efferenda, tum ob elegantiam tum ob dictionis correctionem.

Hanc certe meam sententiam omnes sane amplectabuntur qui volumina ab Aldo edita cum Germanorum volumibus comparent, qui eodem tempore Guttembergiam artem in Italia exercebant in aedibus Sublaquei. Ipse enim, alegatis Germanorum exemplaribus,

elegantem formam romanam, quam rotundam adpellant, mirabiliter invexit, quae, renascentibus litteris, in usum redierat. At, quod caput est, mira simplicitate pagellis suis formosam illam pulchritudinem adiunxit, quae adhuc est, tot equidem labentibus annis, exemplum officinatoribus, nec unquam vel inter tot artium inventa superata.



ROBIANA FICTILIS SCULPTURA.

Non immerito igitur iuvat Aldum cum Vergilio consalutare:

Adgredere o magnos, aderit iam tempus, honores!

Nihil enim verius, nihil perfectius.

SUBALPINUS.

Spatio deficiente, ad proximum numerum:

Q. Horatii Flacci Epistola ad Augustum.

COMMUNIA VITAE

De diaeta recte instituenda.

De diaeta recte instituenda nonnulla hodie scribens, ad viros studiosos maxime intendo; pro iis enim huiusmodi hygienicas notas comparavimus.

Elegant igitur ii in primis illa alimenta, quae naturae ac temperamento cuiuslibet optime congruant, quae probe nutriant, facile concoquuntur et laudabilem gignant sanguinem; ex quibus deinceps, si subtilis accederit aëris, subtile quidem et optimi generabuntur spiritus. Vitabunt praeterea omnia crassa, viscida, frigida, praepinguia, acria, et quaecumque sunt mali succi.

Ingeniose hac de re disseruit Galenus (*De alimentorum facultate*, II, 6): « Illud perpetuo memoria teneto, quod etiam, si quis eorum quidvis, quae aliis sunt concoctu difficultia, coixerit, succus tamen qui ex eo in corpus distribuitur, eandem retinet naturam. Nam fieri non potest, ut succus qui ex pepone distribuitur, crassus et terreus fiat, etiamsi is concoctus plane fuerit, quemadmodum qui ex

lente aut bubula carne distribuitur, evadit nunquam aquosus et humidus, aut quem consistentia tenuem appellant. Id autem plurimum habet momenti, non modo ad sanitatis custodiā, sed et ad morbi declinationem ». Et paulo post: « Ob eam igitur causam omnibus pravi succi eduliis censeo abstinendum, etiamsi ea quibusdam coctu sint facilia. Nobis enim non advertentibus pravus succus ex ipsis post longum

tempus in venis colligitur ». Huc usque Galenus.

Quum autem panis omnibus cibis addendus sit, eligatur probe fermentarius, qui bene sit coctus; nam panificium quod cum elixatione conspirare videtur, merito damnatur. Sale etiam et anisi semine condiri poterit.

**

Ex eo quod corporum et temperamentorum magna est diversitas, consequitur unam victus rationem non omnibus posse praescribi. Nam quae cholericis possunt prodesse, non semper tuto exhibentur phlegmaticis, sicciores siccis offenduntur, humidiores humidis. Itaque quilibet *ἰδίον γεγονότα* sua rationem habeat. Quibus varie vivendum more vulgi, quique sani et robusti sunt, ad certas melioris diaetae leges se non facile adstringant. Dum enim a consuetis saepius recedunt, sine molestia persentient illam mutationem. Liberius igitur isti vivant, nullum cibi genus proscribant; sed, de sententia Celsi, genti, loco, consuetudini, patrio foco condonent et culinae domesticae oboediant.

Ceterum et hoc observandum, cibos diversae substantiae, videlicet coctu faciles et difficiles, calidos et frigidos, tenues et crassos, imo aliquot paropsidum centurias, assa, tosta, frixa, elixa, una mensa ingerere et miscere, cruditatem et pessimam corruptionem eniti.

Detestari igitur debent Sardanapali cupidiae, Persici apparatus, Asianae deliciae et Sybaritica convivia; saepe, ex adverso, ante oculos habendi simplicissimi illi veterum Romanorum mores, *faginus adstabat quum scyphus ante dapes*.

Atqui ipsi nos, quando vix numerandis ferculis gulæ luxurianti adulati

sumus, et intra sobrietatem contineri aliquando nequivimus, multa opipara edulia nonne multos novosque producere morbos experti sumus? Non igitur immerito dixeris: Fit more vivendi ut morbi in dies varient, et subinde novent faciem, ex quibus ali debebamus. *Quisque suos patimur manes*. Felix ille, cui in dapium lenociniis contracte naturaeque convenienter vivere contigit!

Interea tamen non infitior aliquid palato concedere licere; nam simplex cibus saepe recurrens, instar crambes ter coctae, satietatem illico parit et nauseam; quando moderata varietas alimentorum parum inter se differentium delectat; quae autem cum voluntate sumuntur, arctius a ventriculo apprehenduntur et melius digeruntur. Absit tamen illa voluptas, gulæ ille pruritus, quo laborarunt nonnulli homines, qui ob id tantum sui nomen, ignominiosum quidem, historiae tradiderunt.

Doctor HAVER.

ANNALES

Europaeum immane bellum proximis hisce diebus terminos suos, nedum tandem restringeret, ultra propagavit; si quidem Itali quoque in campum descendederunt. Quibus de causis, ex oriente bello, cum foederatis iamdiu nationibus Austria et Germania, quominus arma consociaret Italia abstinuisse, et inter utramque partem neutram, at vigilantem, se manere declarasset, suo tempore exposuimus; quibus autem in Austriacos per vim procedere nunc decreverit, brevi hodie, iuxta rationes ab Italiae administris publice allatas, expediemus.

Ex triplici illo foedere, Austriae debitum erat consilia cum sociis miscendi, quando quaestiones tum civiles tum oeconomicas ipsa aggredetur generalis cuiusdam causae; quia foederatorum nemini libertas esset, absque praevio communi consensu, actionem quamlibet suscipiendi, unde ceteris partibus obligatio quaevis consequi posset, aut quoquo modo earum negotia magni aliquius momenti tangerentur. Sed praeter effatum hoc, quod foederis caput erat, vinculum quoque antecptae pactio- nis expresse inter socios sanciebatur, atque compensationis ius, quando unus aliusve sive ad tempus, sive permanenter, aliquem Balcanicae regionis locum occuparet.

Huiusmodi pacta iam ex quo « ultimatum » Serbiae, suo marte, nullo vel monito apud Italos praecedente, propere et quasi secreto Austria indixit, Italicum gubernium alte repetivit; ad quas autem compensationes intenderet, nisi de finitimis territoriis illis, quorum incolae, sub Austriae adhuc dictione, indolem, sermonem, animam Italiam studiose conservant? De iis adamussim actio facta est ab Italicis legatis apud Austriacos administros iam ante quam bellum flagraret: verum negare illi pri- mum sibi tum licere aliqua fide ad- stringi; mox cavillari se compensationem nullam debere; cunctari deinde, atque de die diem ducere, donec, urgentibus Italis armaque non occulte parantibus, ea proponerent, quae nulli prudenti ci- vilium rerum viro satisfacerent. Itaque quod iam inde a postremis Iulii mensis superioris anni diebus Austriaco gubernio praedicatum fuerat, proximo mense Maio effectum est: triplex foedus

quo Austria, Italia ac Germania conso- ciabantur sine ullo remedio excidit, Itali- que, fines praetergressi quibus ab Austria dividebantur, quae sibi pervicaciter negata sunt, ea armis vindicare forti erectoque animo iam nunc contendunt.

Sed et apud ceteras saevientis belli regiones rerum vices sequamur; quas tamen immutatas fere a mense Aprili animadvertisimus: loca capta et recepta hinc inde; aggeres et valla pertinaciter obsessa, retenta, destructa omni ratione, modis omnibus, ne iis quidem exceptis, a quibus vel infimae humanitati absti- nendum esset. De gasiis illis suffocan- tibus praesertim dicimus, unde crude- liter Teutones praesertim in hostes abutuntur.

Ad occidentem, iuxta Lorette collem acrius pugnatum varia fortuna est; Germanique progressi aliquanto sunt per Sancti Iuliani vias et Ypres; Galli autem cum Anglis ultra Atrebatum, Neu- ville et Aix-Noulette Souchez.

Ad orientem, in regione Mitau et Mlawa, occupata sunt a Russis oppida Harcisze et Grzymki, collectique exercitus ingentes in litore San fluminis. Bubio insuper propugnaculum in Chavlii provincia ii ceperunt, ac deinde munita quoque loca Pigany-Ignace, et Seniawa, a San ipso flumine Austriacos repellentes. Qui quidem post gladiatorium prope pugnam Krosno recuperarunt, ac deinde Rudnik, Lezaisk, aliaque loca; adiuvantibus autem Germanis, Ierosla- vio potiti sunt. Nunc, postquam in Bu- covina a Pruth flumine longius abscede- re iis contigit, ad Przemysl arcem ab hostium manibus auferendam in- tendunt.

Ad meridiem, neque in Serborum fini- bus neque circa Hellespontum quidquam gestum est peculiari memoria dignum; itemque in mari, si exceperis demersio- nem magni illius vectorii navigii, cui Lusitania nomen, Neo Eboraco in An- gliam profecti, a subaqueo Germanorum linte factam, contra gentium ius, quem- admodum non immerito Civitates Foe- deratae Americae Septentrionalis, qua- rum insontes viatores prope centum horrendam mortem in naufragio inven- runt, apud Germanorum gubernium conquestae sunt.

Interim, inter tot tantasque ruinas et caedes, amantissimi et moerentis omnium Patris Benedicti XV vox rursus et alte insonuit, qui in publicis litteris ad Sacri Senatus Purpuratum Decanum ea revo- cans quae non semel populorum monue- rat rectores, alias profecto adesse vias, rationes alias, quibus si qua sint violata iura sarciri possint; has, positis interim armis, bona experientur fide animisque volentibus; lugens praeterea suam amici et patris vocem in irritum cessisse, qui- nimo et ad dilectam ab Eo Italianam incendium terribile prolatum esse; conatus suos subiiciens ut tristissimae bellii calamitates levarentur ac minuerentur tum per captivorum saltem et sauciorum commutationem, tum maxime facultati- bus amplissimis sacerdotibus attributis qui in castris adessent, ut sursum corda attollantur invitavit, precesque ad Deum illum effundantur, in cuius manus sunt omnium potestates et omnia iura regno- rum. Quum denique precis ardor a ma- gnanimitate sacrificii et poenitentia haud est seiungendus, hortatus est fideles omnes ut stricti ecclesiastici ieunii dies tres una secum acturi sint.

Oh! vota Patris pientissimi optatum exitum quantocius consequantur!

**

Ceterum bonae voluntatibus homini- bus apertas vias esse, quibus sine sanguini- nis effusione suum cuique ius tribuatur ipsis hisce diebus inferioris Americae civitates Brasilia, Argentina et Chilensis palam ostenderunt. Quae amicitiae foedus inter se tale ferierunt, per quod bellum impossibile nunquam non sit evasurum. Ex nobilissimo hoc exemplo sperare licet fore ut et reliquae circum Americanae nationes idem tandem faciant, durabi- lem pacem hac ratione sibi comparantes.

**

Dum foedus alterum componitur inter Iaponiam et Sinas, Lusitania novis seditionibus vexatur. Per noctem enim diei xiv superioris mensis Maii, rebellio mota est a classi in Tago flumine ad ancoras deligata, quae per horas tres Ulysipponem tormentis bellicis petivit. Terrestres ma- chinae identidem responderunt; sed ta- men rebellibus cedere necesse fuit, qui Oporto et Santarem quoque in urbe coniurationis socios habebant. Cuius quaenam causa? Ex tolerantia ferunt a gubernio in partem supremae regiae potestati faventem adhibitam. Certe novus, qui suffectus est, administratorum primus, Ioannes Chagás, vix cum magistratum adeptus est vitam suam nefarie, quamquam sine fructu, appetitam vidit; et rei publicae praeses Arriaga, qui novo rerum ordini fidelitatis ius- iurandum praestiterat relietusque in of- ficio fuerat, paucis post diebus a munere se abdicavit. Num igitur credendum est

quod illinc nunciatur, omnia iam nunc ad quietem rediisse?

**

Neque hic tandem luctuosae notae finis: **Armeniorum** enim strages a Curdis Turcisque patrari iterum afferuntur.

Kalendis Iuniis MCMXV.

POPLICOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

Haesi, fateor, anceps diutius, an tributum meum vobis, humanissimi letores, hodie persolverem: in tanta enim rerum vicissitudine, tot prementibus anxietatibus atque omnigenis negotiis, eccei superest vacui temporis hora? Attamen, ut quieti etiam aliquantum concedamus, mentemque et animum ab infestis ingratisque sanguinis ac luctus spectaculis avertamus, necessitatem omnes experimur. Ad quid vero confugiemus?

Ad musicen profecto, de qua iam Cicero monebat dici vix posse « quanta sit vis in utramque partem; namque et incitat languentes et languefacit excitatos, et tum remittit animos, tum contrahit ». Ceterum nonne Orpheus ille, qui dulcissimis modulationibus suis lapides secum trahebat, tamquam musicus medicus habitus est? Quin imo legi nuper dentarium clinicum quemdam, praeclari quidem ingenii virum, **musicotherapiae** vires tamquam in scientiae canones redegisse, quos extrahendis dentibus is ita applicat, ut Wagnerianum acroama aut Rossiniana symphonia

satis iam sint ad dentis dolores leniendos, vel etiam omnino removendos. Quamquam, ut vera profiteamur, musices iam pridem dentium evulsores saepe adiuvit. Tubaen, tympana, cymbala frequentius adhibita sunt in dentharpagrum utilitatem, qui infelicem clientem in foris super curriculo expectare consuecebant. Verum enimvero, si huiusmodi musicae genus dentharpagae conferebat, non quidem patienti prodesse autumo. E contra, iuxta rationem clinici, quem supra laudavi, per azoti protoxydum — (quod vulgo etiam *gasium exhilarans* nuncupatur, ob eius virtutem iucundas cogitationes excitandi) — soporatur aegrotus, cuius additis musicis concentibus beatitudo completur, quippe qui suavia eaque harmonica somnia proculdubio tum somniabit.

Laborde doctor, qui de invento hoc Parisiensi academie retulit, ipsum latissime probavit, doctrinaeque argumenta ad rem adduxit. Monuit namque musicae in cerebro stimulum faciliorem reddere anesthesiam; exemplumque posuit deprimentis vis a musicæ actæ in maniacos dementesque. At, quod mirabilius est, effectus tum magis perspicui apparent, quando auditus sensui vibrama musici instrumenti addantur, fidum exempli gratia, quae pulsentur supra idem subiecti hominis pectore. Hic biblicæ quoque memoria revocata Davidis est, qui musicotherapy fortunæ suaæ initium posuerit, lyrae sono plancans Saul regem, nervorum morbo magnopere laborantem!....

Sed relinquamus huiusmodi ineptias. In Civitatibus Septentrionalis Americae Foederatis exstitit certe — utrum exstet adhuc ignoro — musicotherapicum no-

socomium, sub S. Caeciliae nomine, — non aliter atque apud nos musica quævis academia, — ubi mente captis remedium musicæ, ut ita dicam, infusionis adhibebatur. Proderat igitur; at quanam de causa? Haller iam pridem notaverat per tympani sonitum a vena abrupta sanguinis scatebram augeri; confecta deinde sunt instrumenta duo, **cardiographum** atque **pneumographum**, vel minimas varietates rythmi amplitudiniske in cordis et pulmonum motibus referentia. Per haec est repertum, musicen cordis pulsationes spirantemque motum urgere; modo tamen variabili. Sic *Ultima Weberi cogitatio* numerum aspirationum auget iuxta rationem trium in singulis momentis; unius tantum eum dimidio Sellenicki *Indica decursio*; quinque e contra *Equitum incursus*, prout vulgo dicitur, in Wagneriano opere *Walkiria*. Identidem prope ex cardiacis pulsationibus infertur: *Fausti symphonia* in singulis momentis pulsationes quinque superaddit; septem Beethovenii *Mortualia*; *Walkiriae* autem *Equitum* ille incursus primas iterum tenet, quippe qui pulsationes quindecim ulteriores usque promoveat; dum e contra *Tannhäuseri triumphus* cor extraordinario sensu quovis carens relinquit. Musicum denique incitamentum in cordis ictibus aut in interspiratione relaxationem nunquam producit; quum contra expertus vir alter per dynamometrum animadvertisit lenes tristesque concentus muscularum robur attenuare; de iucundis vero rationem converti; imo et voluntatis vim augeri. Ex quibus nonne tandem concludere licet hilares festivasque cantiunculas plurimum saluti conferre?

**

A symphonii ad symphoniacos breve quidem iter. Circa quos inquire posset num musicus stylus cuiusque animo et in ipsis respondeat. Verum ne qui legit terreamini; satis enim hodie lucrationibus datum.

Sit pro hisce **narratiuncula de Vincentio Bellinio**, quam socius noster clarissimus Ioannes Bellissima concinnavit et ad nos misit in nostris paginis vulgandam: commentationes si volueritis, lectores ipsi vobis facite.

Vincentius Bellinius, vir Catinensis, non modo in musicis magna fuit gloria, sed etiam bona mentis, quum adhuc praetextatus esset, admirandum praebuit exemplum. Etenim anno MDCCXII quum, pridie Christi natalem, ex aedium suarum luminibus duos puerulos pannosos, in tactis pedibus incidentes, et, quamvis magnus effunderetur imber, stipem ab euntibus verecundius emendicantes forte conspexisset, ad se statim, qua erat animi benignitate, eos venire iussit.

Leniter adridens: — « Quaeso, — inquit, — quorsum est opus, pueruli? Cur domos vestras non properatis? Nonne scitis vos a matribus magnopere exspectari? »

Quum vero eos utroque parente orbos esse laborantesque fame stomachos, cibis ostiatim quaeritandis, reficere velle comperisset, tanto dolore is captus est, ut quos sibi apparari cibos iussisset, illis libentissime praebuerit atque donaverit.

Dum haec geruntur, in alia aedium parte Carminus et Franciscus, fratres eius, ut vestimenta, quae obsoleta esent, iis dare sibi liceret, matrem ex-

raverunt. Unde factum est ut pueruli ad bellinianam domum ventitarent.

Cuius rei taedium quum patruus coepisset pati, quippe qui humaniter eos dimittere non nollet, impetravit ut in xenodochium catinense reciperentur. At quae fuit eius admiratio! Temperi xenodochii praefectum patruus adiit; puerorum alterum marem, foeminam alterum, quamvis ex more bracas induisset sibi, esse rescivit. Stomachari patruus; sed quid faceret? — «Euge, — fastidiosus aiebat, — omnigenos pauperes miserorumque collegia nepos ille meus domum, et numero et sexu eorum neglectis, recipit negotiaque sexcenta mihi facessit!»

Ceterum, quo die Vincentii Bellinii ossa cineresque Catinam prope regio funere adlata sunt, corona in pompa conspecta est, decora floribus atque lemisco, in quo, ut ferunt commentarii, verba inscripta erant, quae gratos ignotorum hominum animos significabant.

**

Aenigmata.

I.

*Primum labore gignitur
Industriae bestiolae.
Quid, lector bone, est alterum?
Septa tenet vel similes.
Totum frondescens fructibus
Nos donat nunc quam sapidis!*

II.

*Mene legis recte? Vocor in discrimina Martis
Ut primo strepuit buccina rauca sono.
Mene legis retro? Turcarum rex dominusque
Asseclis Christi bella cruenta tuli.
(Aenigmata in superiore numero proposita
his respondent: 1] *Cur-sus*; 2] *Mensis, Ensis, Mens*.*

IOSFOR.

“Almae Romae,, Anthologia

« SEMPER DUM VIVAM TUI MEMINERO »
VARIUS DICENDI MODUS.

(Ex elegantiis A. MANUTII IUN.)

1. — Nunquam dum vivam tui non meminero.
2. — Nunquam quoad victurus sum, me tui capiet oblivio.
3. — Haud unquam dum vixero, in animo excideris meo.
4. — Nunquam, donec vivam, mihi venies in oblivionem.
5. — Nunquam quoad invisero tui nobis veniet oblivio.
6. — Non prius tui meminisse desinam, quam vivere.
7. — Non me ante tui memoria, quam vita ipsa reliquerit.
8. — Usque dum spirabo tui memor fuero.
9. — Donec hac luce fruar tu animo haerebis meo.
10. — E virorum contubernio citius emigraverim, quam tui memoria nostro e pectore demigravit.
11. — Ipse prius e vivis excessero, quam Dominus meus e nostra excesserit memoria.
12. — Lux haec me prius deficiet, quam tui immemor esse coepero.
13. — Vita mea me non serius destituet, quam tam cari capitis recordatio.
14. — Idem dies mihi tui memoriam eripiet, qui vitam.
15. — Eadem lux oblivionem tui est adductura, quae mortem.
16. — Idem nostrae tui memoriae, quam lucis erit interitus.

17. — Dum memor ipse mei fuero, tui meminisse neutiquam pigebit.

18. — Is solus dies tui memoriam extinxerit, qui vitam.

19. — Ante mei ipsius, quam tui obliisci incipiam.

20. — Nostro e pectore non prius elabetur C. C. memoria, quam haec anima.

21. — Praeter unam mortem nullus omnino te mihi casus expectorabit.

(Sequetur).

Delegit HERMINIUS M. IACOBELLI.

**Librorum recensio.**

G. B. BELLISSIMA. *Studio sui Captivi di Plauto*. — Parte 1^a: I Pensieri, Siena, 1915.

Opusculum hoc, typis nitide editum, a cl. v. Bellissima exaratum, cuius nomen litterarum latinarum peritis haud est ignotum, quippe qui eleganter latine conscribat et suae mirae navitatis iam plura vulgaverit documenta, id sibi habet propositum, ut in illam Plauti comoediam inquirens, quae sane prae aliis nescio qua virtute excellit, quaeque iure doctissimorum hominum ingenia in se convertit, idest *Captivi*, comici sententias hue illuc inspersas opportune colligat enumeretque. Pars prior enim sententias complectitur, generatim dispositas, in quibus ratio et, ut ita dicam, doctrina Plauti continetur. Apparet enim quid auctor de deis senserit, de hominibus, de amicitia, de fraude, de morte, de nummis, de utilitate communi, et similia. Sub quaque pagina latinae sententiae afferuntur.

Nemo est qui ignoret quot ad studia et criticas disputationes *Captivi* comoedia ansam dederit: nunc primum patet, miro sane iudicio perpensa, pars altera, idest philosophia, sepositis iocis, Plauti.

Opusculum, amoris et obsequii causa, dicatum est Cocchiae illi doctori clarissimo et omni laude digno, deque studiis plautinis optime merito, qui nemo est quin sciat quantum in *Captivi* comoedia illustranda et ad criticam rationem fidemque optimorum codicium redigenda elaboraverit profeceritque.

Dum laeti priorem hanc opusculi partem salutamus, alteram exspectamus, in qua de iocis salibusque eiusdem fabulae disseretur.

M. G.

MONITUM

*Bello et apud Italos nunc saeviente,
facile fieri potest ut Almae Romae
fasciculi, non secus atque commentario-
rum omnium, vel transmissionis moram
patientur, vel etiam omnino disperdan-
tur. Parcant socii rerum adiunctis, et pro
certo habeant nos sufficientia satis cuius-
que fasciculi exemplaria apud nos ser-
vatueros, quibus fortuita damna suo tem-
pore resarciantur.*

*Neque, uti superius diximus, eventum
non praevidimus alicuius intermissionis,
cui commentario nostro subeundum sit.
Ne tum quidem ullo dubio socii agi-
tentur: sive enim deinde frequentiores
numeros edendo cum eorum rationibus
paria faciemus, sive tempus subnota-
tionis ita pro singulis proferemus, ut
tum annua ipsa subnotatio absolvatur,
quum fasciculos duodecim, ex iure suo,
quisque habuerit.*

ROMA SACRA

Oratio ad Deum iussu Benedicti XV P. M.

a catholicis universi orbis recitanda, qua finis bellorum pacisque redditus imploreter (1).

Horrendo exterriti bello, quo gentes et regna subvertuntur, ad Cor tuum, Iesu, nostri amantissimum, tamquam ad supremam salutis spem, configimus. Te, Deus miserationum, gementes exoramus, ut immani flagello finem imponas; Te, Rex pacifice, pacem quo citius restituas, votis ac spiriis comprecamur.

E corde tuo divino radians in mundum erupit caritas, per quam, omni depulsa discordia, unus inter homines amor regnaret; dumque vitam mortalem ageres, animum pientissima misericordia intime commotum gerebas. Cor igitur tuum moveat, quaeso, miseratio erga nos, quos tempora premunt tam feris odiis, tam horrendis stragibus funestata.

Miserere tot matrum quae, de sorte filiorum anxiae, maerore conficiuntur; miserere tot familiarum, patris ac ducis necem lugentium; miserere infelcis Europae, cui tanta impedit ruina!

Mitiora tu consilia rectoribus gentium ac populis adspira; compone, quae nationes dilacerant, dissidia; hominesque, quos, tuo effuso sanguine, fratres effecisti, ad pacis foedera et oscula fac revertantur. Quod olim ad supplicem Petri Apostoli clamorem: « Domine, salva nos, perimus » benignum dedisti responsum, tranquillatis verbo procellos fluctibus, idem hodie, nostris exoratus precibus fiduciae plenis, placatus iterare velis, redita perturbato mundo tranquillitate ac pace.

Tu quoque, Virgo Sanctissima, sicut alias inter calamitosa tempora opem mundo atulisti, ita nobis fer auxilium, munimen, salutem. Amen.

Acta Benedicti XV P. M.

Litterae ad R. P. D. Ioannem Ireland, Archiepiscopum S. Pauli de Minnesota, de nova aede cathedrali Paulopoli propediem dedicanda.

Quum tu novae cathedralis aedis, in ista honoris tui sede, initia poneres, scimus decessorum Nostrum fel. rec. Pium X, datis ad te litteris die xx mensis Aprilis anno MCMIV, tum laudes tibi, venerabilis frater, tribuisse ac piis hominibus, qui suis te opibus adiuvarent, tum hortamenta ad peragendum incepturn adiecisse. Nunc certiores facti sumus aedificationi iam esse fastigium impositum, eamque, excepto interiore ornatu, omni ex parte sic absolutam, ut ipsius dedicatio sollemnitas in diem undecimum proximi mensis Aprilis constituta sit; eiusmodi autem excitatum esse templum, ut et amplitudine et magnificentia et formae elegantia insigne dici posse videatur. Haec Nos perlittere intelligentes, facere non possumus quin omnes, quotquot ad rei successum contulerunt aliquid, eos praesertim qui, pro suo Religionis amore, egregie se munificos prae-

stiterunt, dilaudemus. Tibi vero, qui eum in omni pastoralis officii munere virtutem praecellare actuosam ostendere consueveris, tum in hoc ipso declarasti quam decorem Domus Dei diligeres, in primis gratulamur instantiam curasque tuas e sententia successisse. Auspex autem caelestium bonorum ac testis paternae benevolentiae Nostrae sit, venerabilis frater, apostolica benedictio, quam tibi eisque omnibus quos memoravimus, atque etiam reliquo tuo clero ac populo amantisime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xiv mens. Martii MCMXV.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, sponsor.

(1) Latine reddidit I. TASSET.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2. 40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, Via del Governo Vecchio, 96.* ~ ~

MONITUM

Bello et apud Italos nunc saeviente, facile fieri potest ut Aliae Romae fasciculi, non secus atque commentariorum omnium, vel transmissionis moram patiantur, vel etiam omnino disperdantur. Parcant socii rerum adiunctis, et pro certo habeant nos sufficientia satis cuiusque fasciculi exemplaria apud nos servaturos, quibus fortuita damna suo tempore resarciantur.

Neque eventum non praevidimus aliquius intermissionis, cui commentario nostro subeundum sit. Ne tum quidem ulla dubio socii agitentur: sive enim deinde frequentiores numeros edendo cum eorum rationibus paria faciemus, sive tempus subnotationis ita pro singulis proferemus, ut tum annua ipsa subnotatio absolvatur, quem fasciculos duodecim, ex iure suo, quisque habuerit.

ALMA ROMA.

Ex praesenti bellica re historicae animadversiones

Quaecumque ab humano genere, a creatione ad hunc diem usque, consummata sunt, aliquam sui profecto rationem ea habuisse et habere censendum est, quae cum rerum omnium supremo fine connectatur; secus enim et homo et humana societas inanes omnino exstant, quatenus uterque haud totius admirabilis creationis operis unum esset testimonium intelligens, ratione praeditum atque volens, dummodo id perpetim omnium oculis simul ostendat atque aperte evincat historia, veritatis lux, huius probandae rei iuge argumentum.

Immo, quo magis in civilitatis atque doctrinae itinere proficiscamur, eo magis confiteri cogimur, illum vere felicem virum appellari oportere, qui rerum causas, vel principia, quibus ipsae dignuntur, cognoscere potuit.

Quamvis autem insignis recentiorum temporum scriptor beatos populos vocavit, qui historia careant (1), huic tamen quodammodo adstringeremur, animadvententes humanitatis historiam, magna

(1) CAPPONI G., *Lettere*, § 169.